



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

XXIV. De virgine ante duodecim annos velata non consentiente patrono
sub cuius erat patrocínio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

cipimus, vt omnino separentur, & iuramento colligentur, vltius sub vno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in ecclesia & in publico, aut pariter vllam habere communionem, vnde suspicio illecebrosi desiderii, aut scandalum libidinosi facti, iuste possit oriri. Si quæ etiam inter se diuidenda sint, diuidant, & vterque sua prouideat.

XXIV.

Quæcumque virgo sub patrocínio ante annos 12. non coacta, sed propria voluntate, sacrum velamen sibi imposuerit, annumque & diem, nullo repetente, velata permanserit, ab eodem sancto habitu vltius non recedat, sed sponsa vero regi Christo, immaculato agno, vltius incorrupta & immaculata deseruiat. Si vero idem patronus post annum & diem, sanctum propositum corrumpere, & velatam studuerit repetere, atque Christo suam sponsam rapere: secundum præstituta Canonum præiudicamus, vt vires non obtineat, sed Christo regi suam sponsam relinquat. Si quis de virginibus velatis curiosius & diligentius inuestigare perstiterit, insilat capite decimosexto Carthaginensis sancti Concilii, & nonagesimotertio Africani. In Carthaginensi, capite decimosexto continetur: Vt ante vigesimumquintum annum virgines non consecrentur: in Africano, nonagesimo tertio: Vt quicumque episcoporum, aliqua vrgente necessitate vel periculo mortis angustante, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet, velauerit, seu velauit, ante vigesimumquintum annum ætatis

ANNO
CHRISTI
895.

virginem, non ei obsit Concilium, quod de isto annorum numero constitutum est, quin velata & consecrata permaneat.

XXV.

Viduas autem velare pontificum nullus attentet, prout constitutum est in decretis papæ Gelasii, capite decimotertio, quod nec auctoritas diuina, nec Canonum forma præstituit: Quæ si propria voluntate continentiam professa, vt in eiusdem Gelasii capite vigesimoprime legitur, eius intentio pro se reddat rationem Deo. Quia sicut secundum Apostolum si se continere non poterat, nullatenus nubere vetabatur; sic secum habita deliberatione, promissam fidem pudicitia Deo debet custodire. Quæ auctoritate paternæ suffulti sententiæ, in hoc sacro Conuentu sancimus & libere iudicamus, quod si sponte velamen, quamuis non consecratum, sibi imposuerit, & in ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit, sanctimoniam habitum vltius habere debet: licet sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, vt iterum possit deponere.

XXVI.

Si quis monachus pro lucro animæ vel animarum a suo monasterio exire, & in aliud proposuerit intrare, consentientibus episcopo, abbate & fratribus, consentimus & concordamus, quia id fecisse multos sanctos legimus. Si vero fuga regularis disciplinæ elapsus, propositum sanctitatis calcauerit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni onere est grauandus: vt sal-

Monachus
apostata
quomodo
tractandus,